

distinguat, quæ ex hypotheli conjungenda erant, v. g. Deut. II, 32.

*Et exhibat 9 Sibon ' obviam nobis '.*

Duas priores voces autor Accentuum per servos tertiæ, *obviam nobis*, adjunxit in codice Hebræo, quare easdem etiam conjunctim legendas esse docuit. Sed quoniam secunda vox Grammaticæ cum tertia non cohæret, monuit interpretes, ne ejusmodi voces conjunctas pro constructis habeant, sed in versione sensum & positum vocum attendant. Certum enim est, Auctorem accentuum multas voces per servos conjunxisse, quæ tamen grammaticæ non construuntur. Hinc vertebat: *& exhibat Sibon obviam nobis.* In hoc accentuum positu quandoque 9, quandoque ' quandoque uterque distinguit. 9 Tlischa ketanna distinguit, 2. Sam. X, 3.

*& dicebant 9 principes ' filiorum Ammon '.*

Kadma distinguit in exemplo supra allato ex Deut. II, 32. Uterque distinguit Gen. XLVII, 17.

*& dabat ipsis 9 Joseph ' panem '.*

Ex his exemplis apparet, quod Auctor accentuum his accentibus ad distinctiones non respexerit, sed potius ad decoram vocum lectionem in Musica sacra receptam. Inde sequitur illos accentus etiam in lectione hodierna esse observandas, & voces conjunctim legendas, si antiquos imitari velis. In versione vero sunt vertendæ, prout constructio grammatica requirit, nullo habito ad illos accentus respectu, quippe qui neque distinctiones, neque conjunctiones sensus indicant, uti ex datis locis constat. Si distinctiones intendisset accentuum Autor, habuisset distinctivos, quos apposuisset. Sed hoc non fecit, ergo nec distinctionis gratia illos apposuit. Qui eos pro distinctivis habet, eum oportet hoc ex intentione Autoris probare, quod est impossibile. Rabbinii omnes fatentur, distinctivos sibi plures præmittere servos. Vid. R. Calonym. ap. Balmaf. & R. Leb. de Accentibus Profaicis fol. 99. b. seq. & omnes paginae codicis idem confirmant. Harmoniæ vero, & musicæ sacre gratia eos esse appositos, apparet ex supra dictis, imprimis ex antiqua Musica Græcorum, qui ejusmodi accentus Evangelistariis suis

fuis